



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

to; tum quia presumatur in causam alimentorum relictum esse, quod pater filio spurio, cum quo vivat aliunde non est, testamento relinquit, *castrensis. conf. §. Quicquid dicatur vol. 1.*

8 Et sanè minus periculi est dictis legatariis ex eo, quod contradicentem non habeant, nisi maritum filiae ex secundo thoro, filiam ex priore thoro nihil contradicente: nam cum hæc legata saltem pro maxima parte relictæ sint à prædictæ filiae prioris thori marito, nihil verendum est, ne gener ex secundo thoro ea auferat; quia quæ spuris liberis relictæ sunt, in summo iuris rigore pro non scriptis tantum habentur; ideoque manere debent apud eum, à quo relictæ sunt, *l. 1. & ibi Bart. De his quib. ut indig. l. inf. m. l. Hereditas nu. 5. C. cod. tit. hoc est in proposito apud generum ex priore thoro, ex cuius relictis hæc legata delibantur & detrahuntur. Ita quod notorie sine actione aliqua, & sine interesse agat gener ex secundo thoro; quod ad repellendum eum à limine iudicii sufficit, *gloss. in c. Ex parte A. De testib. in verb. tacito.**

9 Neque curandum est, ne tacitæ alicuius fidei accommodatio inutilitatem his legatis iniiciat: nam testator aperte in testamento, seu codicillo suo locutus est, & aperte his personis reliquit; ideoque tacitæ fidei accommodatio in consideratione esse non potest, *l. Non intelligitur in princ. De iure fisci, Bart. conf. 119. Dominus Dominicus nu. 2. vol. 1.* etiam si testator sibi per dictos generos in vita per domesticam cautionem cavere curaverit, quod de his bonis ejus dispositionem servabunt. Prævalet enim quod palam in testamento declaravit testator, *d. l. Non intelligitur §. si quis palam.* Quamvis interim huiusmodi allegatio alij, quam filio permittenda non sit; quia de iure filii indignus indigno non obicit, *l. Huius consequenter in princ. & §. 1. & ibi Bart. D. Famil. ercisc. ** Et quamvis primo conspectu multum pro his legatariis facere videatur renuntiatio dicti generi; item illius repromissio, & subsequuta voluntaria condemnatio; cum etiam consentienti noceat dispositio testatoris, de re consentientis facta, *l. Si fundum per fideicommissum & ibi Jafon. De legat. 1.* rei tamen veritas aliud postulat. Nam ut libera per Principem concessa testamenti facultas, non hoc continet, quod incapacibus relinqui possit, sed tantum ijs, qui per leges capere possunt, *l. Si quando. C. de inoff. testam.* ita multo minus id continebit permessa per privatum, in cuius præjudicium tendit dispositio; ne privatorum pactis juri publico derogetur & legibus fraus fiat. Quamobrem cum arctior hic sit legandi potestas, restricta in dictis liberis ad modum alimentorum; non inconsultò facient Maria & ejus liberi, si litem, quæ excitatur, moderatà aliquà summâ redimant. *†* Nam etsi subtiliore juris ratione, Mariæ relictæ fortè sustineri possent, ex consideratione superius propolita, & liberorum legata iustorum alimentorum modum per omnia non excedant: verendum tamen est, ne in magna juris vastitate, & opinionum conflictu, legata Mariæ propter antecedentem illicitum concubinatum, probabiliter oppugnentur, & alimentorum consideratio liberis non satis tuta futura sit; propter alia multa bona, pecuniâ testatoris (uti proponitur, sub nomine liberorum & Mariæ simulatè

comparata, *l. Mancipia cum l. seg. C. Si quis alt. vel sibi &c.* Alimenta enim spuris legata non debentur, si aliunde illa habeant, aut se suis operis commodè exhibere possint, *l. si quis à liberis §. si filius De lib. agnos. Natta consil. 402. Visis acti nu. 48. vol. 2.* Quæ pericula evitabuntur æquabili aliquâ transactione: ut scilicet retineri possint illa, quæ à prioris filiae genero relictæ non sunt.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Spurio relictum.

1. Spurius paterni legati incapax est.
2. 4. Spurius à patre alij non debet, si aliunde alimentum habet.
3. 5. Spurio filio an rectè leget pater.
6. Legatorum quorundam solutio obstringit ad omnia.
7. Alimenta quomodo legentur.
8. Testator presumitur se conformasse legis dispositioni.
9. Alimentorum legatum quando sit pium.
10. Legata pia diminutioni non subjunguntur.
11. Legatum uxori relictum non censetur pium.
12. Spurius filius ex substitutione altera alimenta capere non potest.

C O N S I L I U M C C C X I X.

PAVLVS Ortega testamento suo Andree filio suo spurio legat ducentas libras grossorum Flandriæ, applicandas ad hæreditarios redditus, ad se intenteendum: prohibita huiusmodi reddituum alienatione, cum substitutione in casum alienationis. Legat idem quoque testator Ioanni naturali filio Francisci Ortega filij sui similes ducentas libras, simili conditione; addito reciproco fideicommissio, ut si unus horum legatariorum decederet sine legitimo hærede, redditus decedentis veniant ad superstitem; & utroque sine legitimo hærede mortuo, iidem redditus veniant ad dictum Franciscum suum filium. Alterâ die post conditum testamentum, testator mensam scænebrem exercens per codicillum mandavit, per suos Executores usuras perceptas restitui; idque ante omnia & ante implementum testamenti sui, de quibuscumque suis bonis mobilibus & immobilibus; ad eum finem obligando eadem omnia bona sua additâ hac restrictione, ut si restitutio usurarum excederet summam quatuor millium florenorum semel, excessus desumeretur ex legatis in testamento suo relictis pro rata, usque ad implementum totalis restitutionis, exceptis legatis factis Margareta uxori suæ; quæ voluit esse ejus conditionis, ejus sunt bona hæreditibus relictâ; ita tamen, ut habeatur ratio & consideratio aliorum legatariorum secundum eorum merita erga testatorem; & prout Executores pro statu & bonis testatoris invenient esse rationabile; quoad hoc revocando testamentum suum, eo tamen in alijs rato manente, quatenus prædictâ restitutione factâ, bona se extendent. Mortuo nunc prædicto Ioanne naturali filio Francisci nullis relictis liberis, Queritur an utrumque legatum, an alterum tantum, an neutrum debeatur dicto Andree. Neutrum deberi tres rationes postulare videntur. * Primò, quia spurius testatoris, legati paterni incapax

incapax sit ex iure civili, *Auth. Ex complexu C. de in-
2 cest. nupr. §. fin. in Authent. Quib. mod. natur. effus. sui.* *†*
Secundo, quia quamvis iure Canonico filio ali-
menta à patre exhiberi debeant, *c. Cum haberet De
eo qui duxit in ux. quam pol. per adul. ideoque etiam
ei illa testamento legari possint, DD. in d. c. Cum
haberet, Bart. in d. Auth. Ex complexu, Panor. conf. 10.*
Videtur primo vol. 2. Parisius *conf. 64. Lucius & Vincen-
tius vol. 3.* non debent tamen exhiberi, nec legari
possunt, cum filius spurcius aliunde habet, unde se
alat, *d. l. si quis liberu §. sed etsi filius De lib. agnosce.*
ut perique putant, *Bart. in l. i. c. De mend. valid.*
*lib. 11. De ius. conf. 576. pro resolutione in p. ruc. Lau-
ren. Calcaeus conf. 59. Requisitus cum tribus consilijs sey.*
ita ut cum in facto proponatur, Andream aliunde
habere, unde se alat, videatur hac ratione totum
ejus legatum, & spem substitutionis ab initio con-
cidisse. Tercio, quia testator per dictum suum co-
dicillum videtur revocasse omnia legata, excep-
tis solis legatis uxori relictis, easque subjecisse
oneri restitutionis usurarum, quam restitutionem
Executores dicunt absorpsisse omnia legata.

Aliter tantum deberi, videlicet quod ipsi
directo legatum est, non item quod ex substitutio-
ne seu fideicommissio per mortem Ioannis ei re-
lictum est, inde probari videtur, quod substitu-
tio pro alimentis non sit facta, sed tantum ipsum
primum legatum; ita ut consideratio alimento-
rum, quæ legatum sustinet, applicari commodè
non possit substitutioni seu fideicommissio, quod ex
causa alimentorum non est, quodque coniunctum
leg. co. tacitum excessum & exorbitantiam. Et si enim
spurio pro alimentis legari possit à patre, non po-
test tamen ei ultra modum alimentorum legari,
*Bart. in l. ult. nu. 7. De his quib. ut indig. Bald. in l. Eam
quam C. De fideicom. qui modus in proposito non
servabitur, si permittatur accessio ex substitutione.*

Sed utrumque deberi verius est nam cum
3 scripta iuris civilis dispositione humanior lu-
nis Canonici constitutio necessitatem alendi fi-
lium spurcium patri imponat, *d. c. Cum haberet; le-
gato quoque ei ad alimenta debet esse potestas,
DD. in d. c. Cum haberet, las. conf. 26. Omnis quibus-
cumque nu. 3. vol. 1. Bart. in d. l. ult. De his quib. ut in-
dig. & in d. Auth. Ex complexu, Roland. à Valle conf. 74.*
Circa primum nu. 39. vol. 2. & ita hodie passim serva-
tur ac practicatur, *Molin. in addit ad d. conf. Decij
576.* Sic quod pluribus rationibus hanc decisionem
adstrui ceteris non sit, tantumque hic laborandum
sit, ut removeantur illa, quæ impedimentum fa-
cere videntur.

Et imprimis quidem quod dictum est, alimen-
4 ta tantum his exhibenda esse, qui illa sibi exhibe-
re aliunde, etiam ex operis suis, non possunt, *d.
§. sed etsi filius;* in liberali alimentorum præstatio-
ne non obtinet, sed tantum in necessaria; ita ut
qui se exhibere potest iure actionis, vel implora-
to officio Iuricis, non possit cogere patrem, ut sibi
alimenta præstet, *d. §. sed etsi filius,* quia ex legis
dispositione velut suo conditione debentur, si ali-
menta non habeat. * At liberalis alimentorum
5 præstatio ab eâ conditione non dependet, sed à
voluntate legantis ex Iuris permissione. Vnde
merito reprehenduntur ab Aymone Cravetta,
conf. 199. ad subtilu dubij nu. 10. Decius, d. conf. 576.

& Laurentius Calcaeus, *d. conf. 59.* qui nullâ ad-
hibita distinctione responderunt, filio spurcio di-
viti aut habenti unde se alat, alimenta à patre re-
linqui non posse; cum omnino adhibenda sit di-
stinctio inter patrem nolentem seu invitum, &
volentem; quia volens filio spurcio, etiam si ditissi-
mus sit, alimenta pro statu suo, ac suorum lega-
te potest, *Covar. in epit. 4. decret. part. 2. c. 8. nu. 9.*

Quod deinde in contrarium adfertur ex codi-
cillis de revocatione legatorum ad modum resti-
tutionis usurarum, qui dicitur omnia legata su-
perasse ac consumpsisse, primum questionem fa-
ci habet, an ita se res habeat; cum proponatur
multa legata quibusdam legatariis soluta esse; &
quidem ipsi, qui pari affectione testatori coniuncti
non erant, ut hic filius licet spurcius. Deinde juris
discepcionem habet, an testator generaliter huic
detractioni, & periculo subijciendo legata sua,
censeatur hoc quoque quod filio reliquit subie-
cisse? Facti quæstio ex inquisitione veritatis de-
cidenda; ita tamen, ut si Executores liquido non
proben excessum quatuor millium, & præterea
modum excessus, præsumptio stet pro legatario;
tum propter taxationem testatoris, qui probabili-
ter putabat restitutionem usurarum non excessi-
vum præactam summam; tum quod Executores
quibusdam solidum solvendo non obscuram sig-
6 nificationem fecerint, quod extra periculum fore-
rent ipsa legata: * quemadmodum legatorum
quorundam integra solutio per heredem scientem
vires bonorum facta, eximit reliqua legata
à periculo detractionis Falcidiae, *§. non autem da-
bimus in Authent. de hered. & falcid. coll. 1. In disqui-
titione juris hoc dici potest, quod hæc duo lega-
ta sint legata alimentorum, seu ad alimenta; etiam si
à verbis dispositivis ipsius testamenti, alimento-
rum nulla fiat mentio. † Nam non formula ver-
borum, sed potestas inspicienda est; ideoque
7 alimentorum legatum læpè interpretatur, etiam si
verbo alimentorum, vel alendi, testator usus non
sit; veluti si leget, ut legatarius se pascat, *l. penult.
§. ult. De alimen. leg. si aliquem educari mandet
l. ult. De alimen. leg. & in proposito qui legat alicui
ad se intencendum, proculdubio censetur legasse
se alimenta, sine quibus nemo se intencere, seu
sustinere potest, l. Necare De lib. agnosce.**

De quo minus hic dubitandum est, ob id, 8
quod hanc interpretationem postulet conditio
legatarij, cui nisi alimenta, & nisi in causam ali-
mentorum legari, non poterat, *Barrol. & alij locis
supra citatis:* ut sic testator in dubio censetur se
conformasse legis dispositioni, *Aleat. de præsump-
reg. 3. c. 32. in l. Heredes §. cum ita Ad. c. Trevel. &
voluntate quod possibue fuit & exitum effectum;*
quæ invenire potuit, *l. Si quando De leg. 1. †* Iam
verò legatum alimentorum cum relinquitur inopi,
aut ei, qui alias commiseratione dignus est,
pro pio & favorabili legato accipitur, *l. Sanguinis
c. De sacros. eccles. l. Mela De alim. legat. Bart. in c.
Alio eod. tit. Alber. in l. Illud. C. De sacros. eccles. Com-
miseratione autem dignus est, cui ex rigore juris
civilis denegata alimenta, ex æquitate Canonica
propter commiserationem permittuntur, d. c. Cum
haberet.*

Quibus constitutis, sequitur, quod generatim
dicitur:

diminutio, atque etiam revocatio legatorum testamento relictorum facta in codicillis, non pertinet ad legata, quæ pia vel ad pias causas relicta erant, quia huiusmodi diminutioni minimè subiecta, integra præstanda sunt, *l. Libertus quos §. posthumus De aliment. & cibis leg. Lud. Roman. in Authent. Similiter nu. 54. C. ad leg. Falcid. Socinus regula 130. nu. 26. Tiraquell. in tract. de privileg. pæ causæ privil. 19. quasi testator vulgaria tantum, & minimè privilegiata legata animo suo subiecisse, & ea in parte legis diminutionem secutus videatur; secundum quam legata pia, & præsertim alimentorum non subijciuntur diminutioni, quam in legatis facit lex Falcidia propter alienum, §. si autem hæres in Authent. de ecclesiasticis, d. Authent. Similiter & ibi Lud. Rom. Bart. in d. l. Alio, Tiraquell. in d. tract. privileg. 26. sed propter pietatem tanto plus decedit hæredi, & portioni bonorum, quam ipse retinet. Ita ut in proposito propter piæ causæ considerationem, non quidem impediatur malè perceptorum seu usurarum restitutio, sed rejiciatur ad cumulum bonorum hæreditariorum, quæ instituto hæredi remanent, & plus quam sufficientia ad huiusmodi restitutionem, ac legatorum piorum solutionem esse proponuntur. ¶ Quam considerationem non impedit specialis exceptio de legatis uxori relictis: nam illa speciali nota, & facto hominis indigebat; cum legata uxori relicta perinde pia non sint: quorum piorum legatorum exceptionem facit lex, non loquente etiam seu specialiter non excipiente testatore; quia huiusmodi legata communibus regulis juris non includuntur, *Deius in l. 1. nu. 22. De reg. iur.**

Quod autem ad substitutionem seu fideicommissum, quod ex morte Ioannis accessit, attinet; an illud perinde, ut prius legatum debeatur? vehementer dubito, ob id, quod traditum sit, *Gloss. in verb. participium in §. ult. in Authent. Quib. mod. natur. efficitur, Bart. in l. Is qui De vulg. & pupill. & ibi Iason & Imolus, filium spurium ex substitutione patris ultra alimenta non capere. Et licet omnes permittant, quod legitimo filio testatoris substitui possit pupillariter; quia scilicet per pupillarem succeditur pupillo & in bonis pupilli, non immediate à patre venientibus, d. l. Is qui: in alijs tamen substitutionibus, quibus testatori succeditur, idem permittendum non est; propter prædictam prohibitionem, & solidi incapacitatem. Cum itaque per fideicommissum succedatur gravanti, non gravato, *l. Cohæredi §. cum filia De vulg. & pupill. l. Precibus C. de impub. & alijs substitutis* vix est, ut sustineri possit huius fideicommissi accessio; nisi pro conditione & qualitate testatoris, ac bonorum, dici possit, quod summa quadringentarum librarum applicanda non ad vitales, sed perpetuos ac hæreditarios redditus, non sit exclusiva pro alimentis ipsius Andreæ: quod probabiliter dici potest, cum ex ea summa, etiam denario decimo sexto non possint comparari, nisi centum quinquaginta floreni, qui pro alimentis hominis benè educati hodie non sufficiunt.*

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Spurijs relictum.

1. 3. Spurijs sunt qui nascuntur ex clerico in sacris ordinibus constituto.
2. Naturales sint an spurijs nati ex clerico beneficiati, non constituto in sacris ordinibus.
4. Spurijs præter alimenta in testamento legari non potest.
5. Spurijs duplici vitio laborantes legitimize potest princeps.
6. 10. 14. 21. Legitimitas limitativè, & certo modo interpretari potest.
7. 22. Spurijs legitimitas potius dispensatio est.
8. 23. Spurijs legitimitas odiosa ideoque restringenda.
9. Conditionale non debetur nisi conditione purificata.
11. Clausula, sine præiudicio cognatorum, in legitimatione quid operetur.
12. Legitimationis vis & potestas dependet à voluntate legitimantis.
13. Privilegia & similia exorbitantia stricte interpretantur.
15. Legitimitas unde collatur.
16. Legitimationis cause quæ sint præcipue.
17. Rescripti cuiusque forma & qualitas observanda.
18. Legitimitas concedi potest ut succedat in toto, vel in certa parte.
19. Succedendi vis diversum est à filiatione.
20. Succedendi verbum ad legitimam & intestatam successionem proprie pertinet.
24. Dispensatus filius spurius ad curatum beneficium, simplex obtinere non potest.
25. 29. Contradictio infra penam non meretur.
26. Prohibitio non extenditur ad casum necessarium.
27. Ademptio penalis quando valeat.
28. Fiscus aufert ea in quibus tacita fides accomodata.
30. Legitimitas ad successionem, non extenditur ad bona feudalia.
31. Testamenti nullitas etiam post acceptum legatum proponi potest.

CONSILIUM CCCC.

EX testamento quondam Domini Philippi van Borne, Vtriusque Iuris Licentiat & Collegiatæ Ecclesiæ Buscoducensis Canonici, ingens oritur controversia inter liberos Ioannis Spierinx senioris, Ioannem Spierinx iuniorem, & alios eorum confortes, dicti Domini Philippi cognatos seu legitimos hæredes ex unâ, atque Egidium & Ioannem filios dicti Domini Philippi ex alterâ partibus. Contendunt quippe cognati quæcumque dicti filijs eo testamento relicta sunt, inutilia esse, & pro non scriptis; ideoque illa ipsi pro parte hæredibus institutis in dicto testamento, relinquenda esse; sub onere tamen alimentorum, quamdiu filij vivant. Ex adverso contendunt filij, quod cum iidem legitimi hæredes speciali clausula in dicto testamento jubeantur, rebus, in quibus instituti sunt contenti esse, prohibeanturque se opponere dicto testamento, aut illud viâ juris, aut facti impugnare, sub pena ademptionis omnium, in quibus instituti sunt, relicto solo legato unius Angelotti, atque ea clausula cessante, iidem cognati accipiendo